

non applicate per fidem. Qui non credit in filium Dei, super
eo manet ira Dei. Hae sunt, quae mihi Clarissime Vorst. inter
 summas occupationes, quas ipse D. Holstenig vidit: pro eâ,
 quâ constringor, salutis tuae curâ et amore, ad tuas respon-
 dere hoc tempore, est visum: quod ut animo scripsi candido,
 sic tu candidè quæso accipe: et cogita non jam de castâ nuce
 controversiam esse, sed de ipsomet, ut vides, religionis nostræ
 fundamento. Per gloriam Ergo justissimi Dei nostri; per
 sanctissimam et plenissimam satisfactionem Filii Dei; per
 vulnera et mortem ejus, per tuam aeternam salutem:
 per Ecclesie Christiana pacem: per, si quid tibi est, charum
 te obsecro cogita, quid agas: nihil tergiveris, *colla* *cap-*
praxa te diu non tegent, filia temporis veritas. Cogita quale
 sit, unum Socinam Samosatenianum hereticum orthodoxis
 Theologis omnibus anteferre, propter inanes argutias, Fidei
 et consensui Ecclesie Christiana nuncium mittere. Cogita
 istam indignationem Optimi Generosi Tui Scandalum
 Ecclesie, triumphos hostium, quos excitabis, perniciem
 juventutis, periculum tuum. Libera me et amicos omnes
 hæc sollicitudine et metu, et heresim Socini aperte no-
 bisiam detestare. Quod ut velis et possis, et facias toto pe-
 ctore Deum oro. Si quid durius videbitur à me dictum,
 nec mihi nec tibi, sed Socino imputa. Vale Heidelbergæ
 27. Junij 1598.

Conclusio et
obtestatio.

J. Amando Polano J. Pareus S. P.

305

Salutem. Etsi Vir clarissime, amice et frater in Domino ho-
 norande, nihil magis in votis habui, quam in meo pistrino
 porro etiam latere, cui obicem egi propè jam xv annos.
 tamen parendum fuit superiorum voluntati, etiam cum aliquo
 meo incommodo. Accepi igitur secundariam Professionem
 Theologi, jam veteris testamenti, menses propè xxii

ab obitu D. Kimedonci p. m. vacantem. Pro autem Fi-
lium Dei, qui me huc extraxit, gratiam suam & vires sufficiat
meq; faciat organum salutare scholae & Ecclesiae ad laudem glo-
riae suae. Tibi vero pro gratulatione quas possum gratias ago
maximas. VII Idus Septembr: quaedam de dignitate libraria
Mosis praefatus sum: ac volente Deo, à vindemiae Genesis ex-
plicare oritur. Successorem in Collegio sapientiae nactus sum.
Virum clarissimum D. ^{Quipent} Reiterum, tibi notum, quem spero stu-
dia iuventutis feliciter gubernet naturam. Filium meum Phi-
lippum ad vos mitto. Te quaeso per amicitiam nostram & hi-
bi commendatum habeas & consilio aere, quantum potes studia
ejes ac vitam adjuves. Est quidam Dns: ac spero in Philosophi-
cis & Theologicis ita eum fundamenta ievisse, ut non in feticulis
reliqua sit superstructura, quae ad scopum propositum per-
nent. A vanitate juvenili semper alienus fuit ne spero por-
ro degeneraturum. Multa tamen sunt licentia: & insidiae et-
am bonis sunt periculosae. Rogo igitur te peramanter paternam
eum officii vim mone facias. Spero autem sedulo eum datum
operam, ut & vobis modestiam ac diligentiam suam probet
& nostrae expectationi de se, cum primis serenissimi Electoris
nostri beneficentia satisfaciat. De rebus nostris ipse erit
pro epistola. Serenissimus noster in Ducatu Sim merensii
doctrinae & rituum reformationem instituit nec infeliciter
res fuit. Populus enim opinione fertur docitior. Deo
porro coeptis clementer annuat. Vale. Via amicissime, & me,
quod facis, ama. Heidelbergae 23 Septembr Anno 1598